

*tim cum de eiusmodi propositiōibus euidentissima decreta iactitet, super quibus à Doctissimis non modò Mathematicis, sed Philosophis maximis, etiam non citra sudorem, quod aiunt, in toto terrarum orbe diu controuersum esse nosti: nempe de Sphærarū cælestium numero, Siderum distantia, Solis regimine, Planetarum tum situ, tum circulis, Anni stata quantitate, AEquinoctiorum, Solstitiorumq; notis punctis, Terræ deniq; ipsius & loco, & motu, similibusq; arduissimis rebus. Quorum omnium rationem decisionesq; dum diuersis, attamen suis nuper adiuuentis apodixibus fideliter demonstraturum se homo hic adserat: non video, qui argumentum illud ab nostri seculi Eruditis explodi, conuelli, aut contemni debeat. Nam vel apud mediocriter mathesi imbutos, ipsosq; adeo (ut sic loquar) ephemeridistas, res astronomicas (quæ tamen scientiarum ob circuli calculiq; infallibilem rectitudinem certissima creduntur) non vna in parte hodie, tum temporum dimensione, tum motuum obseruatione, claudicare: nec, quod Geometria peculiariter profitetur, ad amussim semper quadrare, constat. Proinde, charissime Georgi, cum plurimis in vrania difficultatibus liberari, abstrusissimos insuper nobis nodos aperiri sentiamus, transmissum hunc libellum, rogo, diligenter perlege, lectum acrius dyudica, iudicatum verò fac age cunctis mathematicum cultoribus, præcipuè autem vicinis tuis, unice commenda, & euoluendū subinde propina, si vel tali pacto non solùm Altera Narratio maturius emittatur, sed ex integrorum hoc, & propè Diuinum opus (cuius περὶ οὐρανῶν tanquam indices Narrationes istæ ostendunt) notum magis factum, amari, & crebrioribus votis ab Autore ipso homine procul dubio incomparabilis doctrina, Herculeiq; siue potius Atlantici laboris, efflagitari: totumq; etiam per Amici mei obseruandissimi presentium scriptorum instigationem, operam, & sedulum calcar communicari nobis aliquando possit. Id quod in inscriptione hac cum primis sic curatum volo, per te nimirum rerum physicarum peritissimum, tui simili-*